



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

UC-NRLF




\$B 13 813

751iv  
A469

YC 00.25

Digitized by Google



UNIV. OF  
CALIFORNIA

DE DEMETRII RHETORIS AETATE.

DISSE~~T~~S~~T~~AT~~O~~ IN AUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LEPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ARTHUR ALTSCHUL  
DRESDENSIS.

LIPSIAE  
MDCCCLXXXIX.

30. VIII  
ANACOLHAO

**PATRIS OPTUMI MANIBUS**

**SACRUM.**

TO MIAU  
AMACONJAO

Inter artis rhetoricae partes, quotquot rhetores veteres tractaverunt, ad nos maxime pertinet et in qua nos quoque operam et studium collocemus dignissima est ea quae est de generibus elocutionis. Ex iis autem, quae hac de re rhetores conscripserunt, non multa etiam nunc extant. Quo pluris is libellus habendus est, cui in codice antiquissimo (ex quo cetera exemplaria omnia fluxisse constat) haec sunt superscripta: *Δημητρίου Φαληρέως περὶ ἐρμηνείας, ὁ ἐστι περὶ φράσεως*, subscripta autem haec: *Δημητρίου περὶ ἐρμηνείας* (Rhetor. Graec. ed. Walz IX pp. 1 seqq., Rhetor. Graec. ed. Spengel III pp. 259 seqq.); quo genera elocutionis copiose et subtili cum iudicio magnaque elegantia tractantur. Cui autem aetati hic libellus adscribendus sit — quae res cum omnino non neglegenda est, tum plurimum valet ad historiam doctrinarum ad genera dicendi pertinentium cognoscendam — a nullo adhuc certis argumentis demonstratum est neque inter viros doctos constat. Atque illud quidem iam pridem cognitum est libelli auctorem fuisse non Phalereum Demetrium, sed cognominem quandam illius aetate inferiorem, verbum *Φαληρέως* autem, quod extat inter verba libello superscripta, ab aliquo scriba male additum esse. Atque diu quidem Demetrium aetate aut Dionysio Hal-

carnassensi aequalem aut inferiorem fuisse censuerunt<sup>1)</sup>); neque vero quisquam argumentis id satis confirmavit. Sed his proximis annis nonnulli priori aetati libellum censuerunt adiudicandum esse. Zeller (Philosophie der Griechen II, 2 edit. III p. 58 not. 3, p. 148 cum not. 8) libellum ante Ciceronem et Andronicum Rhodium contendit scriptum esse; argumenta tamen nulla attulit. Dein Durassier, qui libellum anno 1875 gallice versum edidit, pp. XII—XV coniecit eius auctorem primum fuisse Phalereum, is autem quae conscripsisset postea ab alio retractata correcta aucta esse; quod quo tempore factum sit nesciri. Anno vero 1881 H. Liers dissertatione cui inscripsit „De aetate et scriptore libri qui fertur Demetrii Phalerei περὶ ἐρμηνείας“ demonstrare conatus est re vera libellum a Phalereo conscriptum esse; quod nemini videtur persuasisse, improbaverunt certe quicunque de dissertatione iudicium fecerunt, B. Litt. Centralblatt 1881 p. 903, G. Dzialas, Philol. Rundschau I p. 852, C. Hammer, Philol. Anzeiger XI p. 242. Iterum et accuratius etiam Liers hanc quaestionem tractavit et eandem fere opinionem denuo proposuit in Fleckeiseni Annal. philol. vol. 135 (1887) p. 681 seqq. Interim C. Hammer commentatione anno 1883 edita, cui inscripsit „Demetrius περὶ ἐρμηνείας“ probare studuit extremo saeculo ante Chr. n. altero libellum esse conscriptum; cui sententiae assensi sunt A. Steinberger (Wochenschrift für class. Philol. II p. 98) nec non Volkmann (Rhetorik edit. II

---

1) Cf. imprimis iudicia variorum, quae Goeller attulit in Demetrii editione pp. XI—XXX; Volkmann, Rhetorik der Griechen und Römer edit. I p. 462; Blass, De Dionysii Halic. scriptis rhetoriciis p. 32 thes. VI.

p. 538). Gu. Christ quoque (Geschichte der griech. Litt. p. 444) Demetrium nostrum ante Ciceronem et Dionysium Thracem scripsisse censem. Mihi autem persuasum est Demetrium post Dionysium Halicarnassensem scripsisse; quod probare conabor praecipue doctrinis rhetoricae Demetrii et aliorum auctorum inter se conferendis. Tria igitur capita dissertationis instituam; quorum primo argumenta graviora, quibus demonstrare tentatum est Demetrium ante Dionysium scripsisse (quae omnia Liers aut solus aut primus attulit), refutabo, altero Demetrii doctrinas ad genera dicendi pertinentes conferam cum iis, quae apud alios rhetores leguntur, tertio cui aetati Demetrius adscribendus sit demonstrabo argumentis petitis partim ex iis rebus, quas capite altero exposuero, partim ex aliis.

## Caput primum.

**Argumenta, quibus viri docti effici putaverunt Demetrium ante Dionysium Halicarnassensem scripsisse,  
refutantur.**

§ 1. Liers Dissertat. p. 34 haec verba afferit e Philodemi rhetorica (IV column. 17 v. 9, ed. Spengel, Abh. der philos.-philol. Classe der Bayr. Akad. III p. 223) „πονηρ(ὸ)ν γὰρ εἰς ὑπόχρωσιν αἱ (μα)χραι περὶ οἰδοι, καθάπερ καὶ παρὰ Λημητρίῳ<sup>ψ</sup> κεῖται περὶ τῶν Ἰσοχράτον<sup>ς</sup>“ eaque spectare docet ad haec verba libelli Demetriani § 303 „καὶ αἱ περίοδοι δὲ αἱ συνεχεῖς καὶ μαχραι καὶ ἀποπνίγονται τοὺς λέγοντας οὐ μόνον κατακορεῖς, ἀλλὰ καὶ ἀτερπὲς (sc. τὴν σύνθεσιν ἄχαρι ποιοῦσιν)“, quae imprimis ad Isocratem pertinere paragrapho 12 allata ostendit. Ille autem Demetrius, quem laudat Philodemus, cum sit Phalereus, non aliis quis ut Hammer p. 61 coniecit (id recte Liers Stilarten p. 713 inde efficit, quod Philodemus paucis versibus supra, col. 16 v. 24, τὸν Φαληρέα laudat, quem eundem posteriore quoque loco dici apparet), Liers conclusit libelli de elocutione Phalereum Demetrium esse auctorem. Sed postea, Stilarten p. 713, locum Philodemi spectare ad Demetrium nostrum ipse negavit constare; atque re vera auctorum consensus

multo levior est quam ut alterum altero usum esse inde concludere liceat, praesertim cum Philodemus de actione tantum loquatur, Demetrius autem longis continuisque periodis orationem parum venustam fieri doceat, obiter tantum indicans illas etiam difficiles esse ad pronuntianandum (*καὶ ἀποτινάγονται τὸν λέγοντας*).

§ 2. Demetrius compositionis venustae tractandae initium facit his verbis (§ 179) „γίνεται δὲ καὶ ἐκ σύνθέσεως τὸ γλαφυρόν· ἔστι μὲν οὖν οὐδὲ ὁρόμενον περὶ τοῦ τρόπου τοῦ τοιοῦτον εἰπεῖν· οὐδὲ γὰρ τῶν πρὸν εἴρηται τινὶ περὶ γλαφυρᾶς σύνθέσεως, κατὰ τὸ δυνατὸν δὲ δῆμος πειρατεύοντας λέγειν“, finem his (§ 186) „περὶ μὲν δὴ τοῦ κατὰ σύνθεσιν γλαφυροῦ ἐπιφαινομένου τοσαῦτα, ὡς ἐν δυσκόλοις“. Quibus verbis Liers Dissert. p. 23, Stilarten p. 692 effici docet Demetrium ante Ciceronem et Dionys. Halic. scripsisse, quoniam horum uterque illud genus compositionis tractaverit. — Verum est Dionysium de genere quodam compositionis, quod γλαφυρὰν σύνθεσιν vocat, copiose disseruisse (De comp. verb. 23 p. 170 seqq. editionis Reiskiana, De Demosth. 40 p. 1075 seqq.), Ciceronem eiusdem generis nonnunquam mentionem fecisse. Sed haec γλαφυρὰ σύνθεσις non eadem est atque Demetriana, sed prorsus diversa. Quod facilime cognoscimus, si conferimus auctores, quorum in scriptis τὴν γλαφυρὰν σύνθεσιν inveniri uterque docet. Demetrius § 181 postquam dixit compositione metrorum simili venustatem effici, haec addit: „καὶ πλεῖστον μὲν τὸ τοιοῦτον εἶδός ἔστι παρὰ τοῖς Περιπατητικοῖς καὶ παρὰ Πλάτωνι καὶ παρὰ Εὐροφῶντι καὶ Ἡροδότῳ, τάχα δὲ καὶ παρὰ Αημοσθένει πολλαχοῦ, Θουκυδίδης μέντοι πέφενυε τὸ εἶδος.“ E quattuor locis, quos ad illustrandam compositionem

venustum affert, unus e Dicaearcho petitus est, tres e Platone. Dionysius autem De comp. verb. 23 p. 173, 1 compositione venusta hos auctores optime usos esse docet: Hesiodum; Sappho, Anacreontem, Simonidem; Euripidem; συγγραφέων δὲ ἀκριβῶς μὲν οὐδένα, μᾶλλον δὲ τῶν πολλῶν Ephorum et Theopompum; Isocratem. Alia quoque ratione idem demonstrari potest. Demetrius § 183 haec dicit „Πλάτων μέντοι ἐν πολλοῖς αὐτῷ τῷ δυνθμῷ γλαφυρός ἐστιν ἐκτεταμένῳ πως καὶ οὗτε ἔδραν ἔχοντι οὗτε μῆκος.“ (Periodus vel incisum ἔδραν habent, si in parte postrema nonnullae syllabae longae extant.) His contraria sunt quae Dionysius de compositione venusta docet De Demosth. 40 p. 1078, 7 „ἔτι τῶν δυνθμῶν εἰς ἀς δὴ<sup>2)</sup> ἀποστέλλεται περιόδους οὐ τοὺς ἀξιωματικοὺς βούλεται λαμβάνειν, ἀλλὰ τοὺς χαριεστάτους· εὐκόρυφοι δὴ φαίνονται καὶ εὐγραμμοὶ διὰ τούτο καὶ εἰς ἔδραν ὁ σφαλῆ τελεντῶσι.“ De comp. vb. 23 p. 172, 4 „καὶ τῶν περιόδων τὰς τελεντὰς εὐρύθμους εἶναι βούλεται καὶ βεβηκίας, ὡς ἀπὸ στάθμης, τάνατια ποιοῦσα ἐν τοῖς τούτων ἀφρογαῖς ἢ ταῖς τῶν ὄνομάτων. ἐκεῖνα μὲν γὰρ συναλείφει, ταύτας δὲ διέστησι καὶ ὥσπερ ἐκ περιόπτου βούλεται φανερὰς εἶναι.“ (Τὸ βεβηκός fere idem est atque ἡ ἔδρα, cf. Hermogenem Rh. Gr. Sp. II p. 296, 1—15.)

Apparet igitur Demetrii compositionem venustum a Dionysiana prorsus diversam esse. Inest autem illa in Dionysii compositione media vel mixta; quam Dionysius

2) Sic scribendum censeo pro eo quod traditur „ἐπὶ τῶν δυνθμῶν. εἰς ἀς δὲ.“ Sylburg coniecit post λαμβάνειν esse addendum δυνθμοὺς; Reiske pro ἐπὶ scribendum esse ἔρωτι; K. W. Krüger, Krit. Analekten I p. 137 sic scripsit „ἐπεὶ τῶν δυνθμῶν εἰς οὓς δὴ ἀποστέλλεται (τὰς) περιόδους“.

De comp. verb. 24 p. 187, 3 optime conformatam esse dicit ab Homero; Stesichoro, Alcaeo; Sophocle; Herodoto; Demosthene; Democrito, Platone, Aristotele. Huius autem generis totius tantum descriptsit naturam; de ea specie, quam Demetrius compositionem venustam vocat, nihil dixit. Ergo Demetrius, etiam si post Dionysium scripsit, vere dicere potuit de ea quam ipse γλαφυράν appellat compositione se primum scripsisse.

§ 3. In dictione (*λέξει*) venusta tractanda Demetrius §§ 142—145 quinque tropos quippe qui venustatem efficiant affert; incipit autem § 142 his verbis „πολλὰς δὲ τις καὶ ἄλλας ἐκφέροι χάριτας<sup>3)</sup>. γίγνονται δὲ καὶ ἀπὸ λέξεως χάριτες ἡ ἐκ μεταφορᾶς“, § 145 finitur his „αἱ μὲν οὖν τοιαῦται χάριτες παρ’ αὐτὰς τὰς λέξεις“. Qua de re Liers Dissert. p. 16, Stilarten p. 688 sub 4) sic fere disserit: „Illiis verbis primis et ultimis Demetrius indicat §§ 142—145 simili arguento inter se coniungi. Argumenti similitudo in iis haec est, ut in omnibus agatur de tropis; hoc autem termino technico cum Demetrius non utatur (ut nusquam omnino in toto libello)<sup>4)</sup>, sed

3) Haec verba non bene se habent. Consentio H. Weilio, qui in Fleckeiseni Annal. philol. 73 p. 704 coniecit post ἄλλας addendum esse τοιαύτας vel ἀπὸ σχημάτων, ut haec verba iis quae §§ 140, 141 de χάριτι ἀπὸ σχημάτων dicta sunt conclusionem addant.

4) Hammer p. 57 not. haec verba e § 120 affert: „ἔγω δὲ Πολυκράτει μὲν τῷ φήτορι συγχωρῶ ἐγκωμιάζοντι (Θερστῆν add. Maass Hermae vol. 22 p. 576 not. 2) ὡς Ἀγαμέμνονα ἐν ἀντιθέτοις καὶ μεταφοραῖς καὶ πᾶσι τοῖς ἐγκωμιαστικοῖς τρόποις.“ Hoc autem loco τρόπος terminus technicus non est, sed „modum“ significat. (Neque vero Sauppio et Maassio

pro eo pluribus vocibus (*χάριτες παρ' αὐτὰς τὰς λέξεις*),  
apparet eum scripsisse, antequam vox tropi recepta sit  
in technologiam Graecorum rhetoramicam. Ita vero utitur  
voce iam Cicero, cf. Brutus § 69, atque etiam prior Dio-  
nysius Thrax initio libelli, quem de arte grammatica con-  
scripsit, inter sex artis partes *ἐξήγησιν κατὰ τοὺς ἐν-  
τυπάρχοντας ποιητικοὺς τρόπους* profert.“

Sed quod neque hoc neque ullo alio loco Demetrius  
vocem tropi technologice usurpat, id ad aetatem Demetrii  
definiendam non valet. Demetrius enim permulta e scri-  
ptis antiquioribus hausit, praecipue ex Aristotelis Rhetor.  
libro III, praeterea e Theophrasti libro *περὶ λέξεως*, e  
medicorum scriptis (§§ 176, 177), ex aliis, ut Hammero,  
qui p. 45 libellum de elocutione docet esse „teils eine  
Umschreibung des dritten Buches der aristotelischen Rhe-  
torik, teils eine Zusammenhäufung verschiedener Lehren  
aus den Schriften des Theophrast, Archedemus u. a., un-  
termischt mit einigen nicht zu unterschätzenden aesthe-  
tischen Bemerkungen über den Stil einzelner Redner und  
Dichter“, in universum assentiri possimus (dummodo illud  
teneamus, quod neglexit Hammer, Demetrium non solum  
quaedam nullius priorum opera usum ipsum observasse,  
sed praeterea rationem, qua singula omnia ad quattuor  
probabilia et ad quattuor vitiosa genera dicendi illu-  
stranda adhibuerit, maximam partem ex ipsius ingenio  
ortam esse). Ergo quod tropi terminus in Demetrii li-  
bello non reperitur, huius rei causa ea quoque fuisse  
potest, quod auctoribus, quibus Demetrius usus est, non

---

consentio, qui negant illud *τρόποις* recte tradi. Ille in Oratt.  
Att. rec. Baiter et Sauppe II p. 223, 21 *τόποις* scribendum,  
hic l. l. vocem delendam esse censet.

ipsi, terminus ille ignotus fuit, Demetrius autem tam accurate illos secutus est, ut ne termino quidem, qui apud eos non extabat, uteretur. Neque hoc veri non simile est. Potest enim demonstrari Demetrium compluribus locis ea, quae apud auctores invenerit, adeo non mutata sua fecisse, ut etiam nonnulla, quae cum aliis in eodem libello dictis discrepant aut in dissertationis dispositio-  
nem ac contextum non quadrarent, integra transtulerit <sup>5)</sup>). Quae res cum non solum ad hanc quaestionem examinandum, sed etiam ad universam scribendi rationem, qua usus est Demetrius, cognoscendam multum valeat, de ea uberius placet disserere. Praemonendum autem est, non nunquam tantum illis discrepantiis ipsis cognosci ex aliis auctoribus hausta a Demetrio proferri.

I. § 10 Demetrius quid sit periodus his verbis definit: „τῶν μέντοι κώλων καὶ κομμάτων τοιούτων συντιθεμένων πρὸς ἄλληλα συνίστανται αἱ περίοδοι ὀνομαζόμεναι. *(καὶ) ἔστι* <sup>6)</sup> περίοδος σύστημα ἐκ κώλων ἢ κομμάτων εὐλαταστρόφως *(εἰς)* <sup>6)</sup> τὴν διάνοιαν τὴν ὑποκειμένην ἀπηρτισμένον.“ § 16 dicit haec: „τῶν δὲ περιόδων αἱ μικρότεραι μὲν ἐκ δυοῖν κώλων συντίθενται, αἱ μέγισται δὲ ἐκ τεττάρων· τὸ δὲ ὅπερ τέτταρα οὐκέτι ὅν ἐντὸς εἴη περιοδικῆς συμμετρίας.“ At § 17 docet etiam singulis colis periodos fieri posse. Haud dubie hic Aristotelem secutus est (cf. Rhet. III, 9 p. 1409 b 13—17), illic aut alium auctorem aut suum iudicium.

II. Iam Liers Dissert. p. 10, Stilarten p. 691 seq.

---

5) Ut omnino in libello concinne componendo et expoliendo perparvam operam posuit, cf. Liers Dissert. p. 32, 33.

6) Sic scribendum esse coniecit primam manum cod. Parisini secutus Schenkl Wiener Studien IV p. 66.

coniecit ea, quae de genere venusto Demetrius doceret, exceptis iis quae essent de compositione (§§ 179—185), ex aliis libris ab eo hausta esse, ex iis videlicet quos Peripatetici de venustate (*περὶ χάριτος*), de ridiculis (*περὶ γελοίων*), de aliis huius generis rebus conscripsissent. Cui in universum assentior; sed variae partes distinguendae sunt. Ex quibus prima et principalis paragraphis 128—162 continetur; sequuntur additamenta tria. Et de his quidem mox verba faciam; illam primam ex alio auctore a Demetrio haustam esse, his rebus apparent:

a) Ut in ceteris generibus dicendi tractandis Demetrius de rebus, dictione, compositione (*πράγματα* vel *διάνοια, λέξις, σύνθεσις*), quibus unum quodque efficiatur, singillatim disserit, ita etiam in genere venusto: de dictione §§ 137—155, de rebus 156—162, de compositione 179—185. At in §§ 132—136, quae singularum rerum quibus venustas fit enarrationi ut exordium praemissae sunt, duo tantum fontes venustatis commemorantur, res et dictio; neque tertii fontis mentionem errore scribae in manuscripto excidisse, appareat his verbis quae in § 136 extant: „*ἡσαν δὲ ἴμιν αἱ μὲν (sc. χάριτες) ἐν τῇ λέξει, αἱ δὲ ἐν τοῖς πράγμασι. παραδειξομεν οὖν καὶ τὸν τόπονς καθ' ἐκάτερα.*“ Haec discrepantia quo modo orta sit, intelligere non possumus, nisi conicimus Demetrium paragraphos 132—162 ex aliquo auctore, qui de his duabus tantum venustatis fontibus disseruerit, hausisse, deinde eas §§, quae sunt de compositione venusta, de suo addidisse (cf. § 179) neque vero, ut debebat, huius tertii fontis mentionem in §§ 132—136 inseruisse.

b) Bene Liers Stilarten p. 691 monet in venusto genere figuras verborum ad dictionem referri (§§ 140 seq.), quas ceterum Demetrius compositionis partem faciat (§§ 59

—67. 208. 267—271; expressis verbis id docet § 59); item collocationem verborum (§ 139, cf. 50. 249). — Neque tamen recte Liers brevitatem addit; quae ut in genere venusto §§ 137 seq., ita etiam in genere sublimi § 103 in dictione commemoratur.

c) Idem p. 692 monet vocem *γλαφυρός*, quam iustum nomen generis venusti esse e §§ 36 et 128 cognoscamus, in iis septem §§, quae sint de compositione venusta, tribus (immo quattuor) locis extare; in iis, quae sint de rebus et dictione hanc vocem perraro adhiberi (in ea de qua nunc ago parte non nisi §§ 128 et 138 extat), saepissime autem eius loco vocem *χάρης*.

d) Demetrii libellus de sola oratione pedestri est; itaque saepius Demetrius modis quibusdam dicendi uti dissuadet, quia in poeticam tantum orationem convenient, non in pedestrem. At in hac parte libelli res aliter habet: plus semel dictiones poeticae, ab oratione pedestri abhorrentes, commemorantur neque vero ab iis abstinentium esse scriptor docet; ut in §§ 146 seq., quas cum 89. 90, et in 143, quam cum 91 conferas. Cuius rei causa haud dubie ea est, quod auctor, ex quo haec pars hausta est, venustatis poeticae non minus quam pedestris rationem habuit.

III. Hanc partem excipiunt §§ 163—169, quibus demonstratur quae sint discrimina inter τὸ εὐχαρι et τὸ γελοῖον. Hae §§ et ipsae ex aliquo libro Peripatetico videntur haustae esse, neque vero ex eodem ac 128—162; in illis enim ἡ χάρης et τὸ γελοῖον ut contraria opponuntur, in his ridiculum pars altera venustatis est, cf. §§ 128. 151. 161. 162. — Paragraphos 170—172 ex eodem fonte haustas esse ac 163—169 veri simillimum est.

IV. Sequuntur §§ 173—175, quae sunt de vocibus

pulchris; deinde §§ 176—178, quae sunt de iis generibus vocum quae soni differentiis fiunt. Illas e Theophrasto, has e scriptis musicorum se hausisse Demetrius ipse indicat. Neutrum caput iusto loco positum est; utrumque cum §§ 142—145 potius coniungendum erat. Praeterea quae in posteriore capite de generibus vocum disseruntur coniungenda erant cum iis quae in priore de vocibus sono pulchris dicuntur. Videmus igitur Demetrium, quae e diversis fontibus hauserit, separata in libello suo posuisse, cum sententia ac dispositio poscerent ut ea in unum commiscerentur.

§ 4. Iam ad ea argumenta, quae e doctrina Demetrii petita sunt, refutanda accedamus. Ac primum quidem Liers Dissert. p. 8, Stilarten p. 695 seq. 699 hoc fere modo disserit: „Demetrius in vehementi genere ( $\tau\acute{η}$  δειν $\zeta$  χαρακτῆρι), quod praecipue in veris contentionibus ( $\alpha\lambda\gamma\theta\mu\nu\iota\sigma\iota\varsigma$  ἀγῶσι) locum habet, naturam valere, obesse artem docet, cf. §§ 27. 247. 250. 274. Qua in re consentit cum Alcidamante et Aristotele, qui idem docent de elocutione earum orationum, quae dicuntur, non scribuntur tantum, cf. Alcid. περὶ σοφιστῶν § 13, Aristot. Rhet. III, 12, praecipue p. 1413 b 9. 1414 a 8—16<sup>7</sup>); discrepat a rhetoribus posterioris aetatis, qui etiam veris contentionibus

---

7) Liers praeterea laudat c. 7 p. 1408 b 11, c. 11 p. 1413 a 29. Hi autem loci nihil valent; neque enim ille ad eas quae dicuntur orationes solas spectat (quin illud οὐχ οὐμηκες quod ibi affertur videtur ex Isocratis or. 15, 134 petitum esse) et in hoc quae verba sola indicant de orationibus ibi agi „χρῶνται δὲ μάλιστα τούτῳ οἱ Ἀττικοὶ φήτορες“, ea ab interpolatore quodam inculcata esse veri simile est.

elocutione artificiosa opus esse censem et imprimis Demosthenis elocutionem summa arte perfectam esse docent.“

Verum est Alcidamantem et Aristotelem docere ad eas orationes quae dicantur elocutionem artificiosam non convenire. Demetrium autem aliter sentire de vehementi genere iam inde apparet, quod in iis quae de hoc genere exponit Demosthenis elocutionem, quae artificiosa est, tantopere respicit. Quod autem Liers putat artem, quae in elocutione Demosthenica insit, prioribus temporibus non esse animadversam, et hanc ob causam Aristotelem Demosthenis rationem nullam habuisse, id prorsus falsum est. Nam, ut non dicam vix posse intellegi quomodo homines fugere potuerit elocutionem Demosthenicam artis plenam esse, iam Aeschines hanc artem sensit, cf. eius orat. 2, 4 „ἐφοβήθην . . . μή τινες ὑμῶν ἀγνοήσωσι με ψυχαγωγηθέντες τοῖς ἐπιβεβούλευμένοις καὶ πανοίθεσι τοίτοις ἀντιθέτοις“ et 3, 229 „ὅταν δ' ἐξ ὀνομάτων συγκείμενος ἀνθρωπος, καὶ τοίτων πικρῶν καὶ περιέργων, ἔπειτα ἐπὶ τὴν ἀπλότητα καὶ τὰ ἔργα παταφεύγῃ, τίς ἀνάσχοιτο;“ Neque dubium esse mihi videtur, quin haec ars ipsa Aristoteli displicerit, quoniam eam ad eas orationes quae dicuntur non convenire docet. Ipsum autem Demetrium bene cognovisse Demosthenem arte usum esse in elocutione inde apparet, quod multas dictiones artificiosiores exemplis ex illius orationibus sumptis illustrat, ut figuras §§ 263—270 et eas dictiones quae etiam in genere sublimi locum habent §§ 272 seq. Neque igitur a genere vehementi artem omnino abhorrere Demetrius docet, sed tantum artem nimiam; neque in eo maxime valere naturam ipsam, sed naturae speciem. Quia in re prorsus consentit cum Dionysio Halic. et posteriori-

bus. Cf. Dionys. De Isocr. 12 p. 558 ult., ubi nimia arte, qua Isocrates in elocutione usus sit, vituperata haec adduntur „κράτιστον δ' ἐπιτήδευμα ἐν διαλέκτῳ πολιτικῇ καὶ ἐναγωνίῳ τὸ δμοιότατον τῷ κατὰ φύσιν“, libelli qui inscribitur περὶ ὑψους capita 18 et 22, praecipue 18 § 2 „ἄγει γὰρ τὰ παθητικὰ τότε μᾶλλον, ὅταν αὐτὰ φαινηται μὴ ἐπιτηδεύειν αὐτὸς δὲ λέγων, ἀλλὰ γεννᾶν δὲ καιρός“, Hermogenem Rh. Gr. Sp. II p. 379, 28—380, 8; Anonymum Seguerianum Rh. Gr. Sp. I p. 439, 11. 12.

§ 5. Liers Stilarten p. 696 „Auch Theophrastos kann die Kunst des Demosthenes nicht hoch angeschlagen haben, wenn er den Demades über jenen stellte (Plutarch Demosth. 10). Diesem Urtheil schliesst sich offenbar Demetrios an, welcher die Beredsamkeit des Demades einer längern Besprechung würdigt (§§ 282—286), den Demosthenes aber nirgends rühmend hervorhebt; § 250 sagt er sogar von ihm: *κακοτεχνοῦντι γὰρ ἔοικε διὰ τὴν ἀνταπόδοσιν, μᾶλλον δὲ παιζοντι, οὐκ ἀγανακτοῦντι.*“ Contra haec dicenda sunt complura. 1) Inde quod Theophrastus Demosthenicam eloquentiam minoris quam Demadeam aestimavit, non sequitur ut parvi eam aestimaverit. (Ceterum quae sit vis verborum ἄξιος τῆς πόλεως exposuit Bernays libri quem de Phocione conscripsit p. 134 seq.) 2) Nemini, nisi qui opinione prae-iudicata ducitur, dubium esse potest quin Demetrius Demosthenis elocutionem permagni fecerit, cum ex illius orationibus ad genus vehemens illustrandum tot exempla afferat quot e nullo alio auctore. Quod autem ita se sentire nusquam expressis verbis profitetur, id nullius momenti est. Neque illud, quod Demetrius unum Demosthenis enuntiatum improbat, contra me facit, praeser-

tim cum etiam auctor libelli c. i. *περὶ ὕψους*, quanquam elocutionem Demosthenicam vehementer admiratur, tamen nonnullas virtutes ei deesse doceat, cf. cap. 34 § 3. 3) Demadēm Demetrius non solum non pluris quam Demosthenem videtur aestimavisse, sed ne magni quidem, cf. § 282 „ἀτοπον τρόπον ἔχειν δοκοῦντα“ et § 286.

§ 6. Liers Stilarten p. 699 haec fere dicit: „Rethores posteriores omnibus generibus formisque dicendi Demosthenem usum esse docent; Demetrius tantum unum ei tribuit, ergo priori aetati adscribendus est.“ — Inter posteriores illos distinguendi sunt ii, qui tria genera dicendi, et ii, qui formas (*ἰδέας*) elocutionis tractaverunt. Hi sunt soli Aristides et Hermogenes, quos ne ipse quidem ante Demetrium scripsisse censeo. Illi autem (Cornificius, Cicero, Dionys. Halic., alii) quod omnibus generibus dicendi Demosthenem usum esse docent, Demetrius id non docet, inde nihil concludi potest, cum illorum trium generum natura prorsus alia sit ac Demetrianorum quattuor, qua de re exponam capite altero. Ceterum non omnibus posterioris aetatis rhetoribus omnes virtutes in elocutione Demosthenica inesse visas esse, eo loco cognoscimus quem in § proxima e libello c. i. *περὶ ὕψους* attuli.

§ 7. Liers p. 701 sic fere disserit: „Si ea, quae Demetrius de generibus venusto et tenui docet, conferimus cum similibus quae extant apud rhetores posterioris aetatis, hos cognoscimus studuisse ut nihil proferrent nisi quae ad oratorum usum convenienter, quia omnia genera dicendi volebant optima elocutione oratoria comprehendendi; Demetrium autem id non fecisse. Constat autem a rhetoribus prioribus elocutionis oratoriae minorem rationem

habitam esse quam a posterioribus; Demetrius igitur in illorum numero ducendus est.“

a) Ut autem singula videamus, genus venustum, quippe quod in orationibus locum non habeat, apud posteriores rhetores omnino non ipsum tractari Liers docet, sed tantum singula quaedam quae in illud cadant, imprimis virtutes (*ἀρεταῖ, ἴδεαι*) quae illius propriae sint.

— At Aristides et Hermogenes non solum has virtutes singulas tractant, sed etiam genus dicendi quoddam apud utrumque extat, quod non idem quidem est ac genus venustum, sed hoc continet, et totum, id quod maxime contra Liersium facit, ab usu oratorum abhorret. Aristides enim duo genera omnis elocutionis elegantioris statuit, *τὸν πολιτικὸν λόγον* et *τὸν ἀφελῆ λόγον*. Ille est id genus, quod in orationes, hic id, quod in cetera omnia oratione pedestri scripta convenit; exempla, quibus illum Aristides illustrat, fere omnia e Demosthene, ea, quibus hunc, fere omnia e Xenophonte sumpsit. (Ille priore, hic posteriore artis Aristideae libro tractatur.) Idem discrimen interest inter Hermogenis *πολιτικὸν λόγον* et *πανηγυρικὸν λόγον*. Illum a Demosthene, hunc a Platone optime conformatum esse Hermogenes docet. Continetur autem Demetrii genus venustum et in Aristidis *ἀφελεῖ λόγῳ* et in Hermogenis *πανηγυρικῷ λόγῳ*.

b) Liers his verbis pergit: „Die dritte Stilart des Demetrios war für den Vortrag nicht geeignet; dies musste sich später natürlich ändern. Vertreter desselben wird Lysias . . . Bei Demetrios wird er nur einmal erwähnt § 190.“ — Illud primum non prorsus recte dictum est; neque enim usquam Demetrius genus tenuerit in pronunciationem convenire omnino negat, sed hoc tantum dicit § 193, postquam docuit in illo genere enuntiata inter se

conecti opus esse (*συνδεδεμένη λέξις*): „ἐναγώνιος μὲν οὖν ἵσως μᾶλλον ἡ διαλελυμένη λέξις, ἢ δ' αὐτὴ<sup>8)</sup> καὶ ὑποκριτικὴ καλεῖται.“ Iis autem rhetoribus, qui genus tenuerunt optime a Lysia conformatum esse docebant, hoc genus ad pronunciationem forensem magis idoneum visum esse quam Demetrio, minime verum est; ipse enim Dionysius Halic. elocutioni Lysianae τὸ ἐναγώνιον deesse censuit, cf. De Demosth. 13 p. 994, 12 — 995, 3 ; De Lysia 13 inde a p. 482, 11. Adde quae De Isaeo 13 p. 608, 8 Dionysius de loco, quem ex Isaeo attulit, dicit: „ταντὶ μὲν διαλελυμένα καὶ ἐξ ἐπερωτήσεως· οὗτοι δὲ Αὐσίας μὲν ἥκιστα κέχρηται· Αημοσθένης δὲ, δὲ παρὰ τούτου (Ίσαίου) τὰς ἀφορμὰς λαβὼν, ἀφειδέστερον.“

---

8) Sic scriptum esse in cod. Paris. docet Hammer p. 72.

## Caput alterum.

**Demetrii et aliorum rhetorum doctrinæ ad genera  
dicendi pertinentes inter se conferuntur.**

§ 8. E doctrinis rhetorum veterum ad generum dicendi numerum ac naturas pertinentibus praeter Demetrianam unius tantum notitiam accuratiorem habemus. Quam multi auctores tradiderunt, uberrime autem inter eos Dionysius Halic. exposuit De Demosth. 1—34. Ista tria genera dicendi esse docet: *τιμὴ ἡψηλὴν*, *ἰσχνὴν*, *μέσην λέξιν*; primum a Thucydide, alterum a Lysia, tertium a Platone et Isocrate optime esse conformatum, nisi quod Demosthenes unum quodque etiam ad superiorem absolutionis gradum perduxerit: quem omnibus generibus in vicem usum esse, ut omnes auctores priores elocutione superaret. (Libri qui est de Demosthene cum pars prima perierit, eius capititis quod erat de genere sublimi tantum pars extrema nunc extat; damni aliquantum expletur iis quae de elocutione Thucydidea Dionysius disserit De Thuc. 24. Ex iis capitibus, quae sunt de elocutione Demosthenica, maxime respicienda sunt 8. 10. 13. 21 inde a p. 1020, 9. 22. 33. 34.) Ante Dionysium eadem doctrina

reperitur apud Cornificium IV, 11—16<sup>9</sup>) et apud Ciceronem in Oratoris §§ 20—23, 75—100. Tria autem genera illa iam Theophrastus, Aristotelis auditor, exhibuit; quod cognoscitur ex his Dionysii verbis De Demosth. 3 p. 958, 13 „τρίτη λέξεως ἴδεα<sup>10</sup>) ἢν ἡ μικτή τε καὶ σύνθετος ἐκ τούτων τῶν δυεῖν· ἢν δὲ μὲν πρώτος ἀρμοσάμενος καὶ καταστήσας εἰς τὸν τοῦ ιπάρχοντα κόσμον, εἴτε Θρασύμαχος δὲ Χαλκηδόνιος ἢν, ἃς οὔτεται Θεόφραστος, εἴτε ἄλλος τις, οὐκ ἔχω λέγειν.“ Theophrasto fundamentum paraverat iam Aristoteles; qui Poet. 22 init., Rhetor. III, 2 init.<sup>11</sup>) haec docet: Elocutionem *σαφῆ* esse oportere neque vero *ταπεινήν*. Si tota *κυρίοις* ὀνόμασι fiat, *σαφῆ*, eam esse, sed simul *ταπεινήν*; si tota *ξενικοῖς* ὀνόμασι (quo nomine tralationes, glossae, similia comprehenduntur), *ταπεινήν* eam non esse, sed ne *σαφῆ* quidem. Quamobrem *τὸ κύριον* et *τὸ ξενικόν* miscenda esse (et id alia ratione in oratione poetica, alia in pedestri, cf. p. 1404 b 3—5). — Volkmann Rhetorik edit. II p. 532 tria genera ab Antisthene instituta esse conicit, qui primus quantum nos sciamus *περὶ λέξεως* ἢ *περὶ χαρακτήρων* scripserit teste Laertio Diogene VI, 16. At non constat Antisthenis librum de generibus dicendi fuisse, cum vox *χαρα-*

9) § 11 „sunt igitur tria genera, quae genera nos figuras appellamus, in quibus omnis oratio non vitiosa consumitur: unam gravem, alteram mediocrem, tertiam extenuatam vocamus.“ extr. § 16 „sed figuram in dicendo commutare oportet, ut gravem mediocris, mediocrem excipiat attenuata, deinde identidem commutentur, ut facile satietas varietate vitetur.“

10) Addidit K. W. Krüger „Krit. Analekten“ I p. 136.

11) Hos locos ad generum dicendi historiam illustrandam primus quantum scio Liers Stilarten p. 698 adhibuit.

*κτῆρες* non solum de generibus, sed etiam de singulorum auctorum modis dicendi usurpetur. Neque veri simile id quod Volkmann coniecit mihi videtur esse, cum de generibus dicendi apud Anaximenem nihil, apud Aristotelem eorum tantum semina quaedam extent. — Volkmann edit. I p. 455 censuit illud quoque iam Theophrastum docuisse Demosthenem omnibus generibus in vicem usum esse. Quae coniectura non probabilius est quam illa. Neque enim quidquam indicat a Theophrasto Demosthenis aut aliorum eius aetatis oratorum ullam rationem esse habitam (Blass Attische Beredsamkeit II p. 119); neque eius formae elocutionis, quae in Demosthenis orationibus eminentissima est — Demetrius *δεινότητα* eam vocat — in doctrina illa instituenda ratio habita est (qua de re § 10 exponam), unde veri simile fit eum qui illam primus instituit — is autem fuisse videtur Theophrastus — de Demosthene omnino non cogitasse<sup>12)</sup>). Ac ne illud quidem, optimam elocutionem tribus generibus coniunctis fieri, Theophrastus videtur docuisse, sed id a posteriore quodam doctrinae Theophrasteae additum esse eo consilio, ut illa ad elocutionem Demosthenicam exponendam adhiberi posset. (Volkmann edit. II p. 537.) — Ex iis rhe-

12) Blass l. l. id quoque contra Volkmannum facere dicit, quod Theophrastus, Quintiliano III, 8, 62 auctore, in genere deliberativo sermonem quam maxime remotum esse ab omni affectione voluerit; quod cum Demosthenis consuetudine minime concinat. At constat apud Quintilianum pro „affectione“ e coniectura Regii legendum esse „affectatione“, praesertim cum Quintilianus hac in re Theophrastum cum Aristotele consentire doceat, quod ad Rhet. III, 12 p. 1414 a 8—11 spectare e Quintiliani § 63 apparet. Cf. M. Schmidt De Theophrasto rhetore p. 51.

toribus, qui tria genera tractaverunt, nonnulli docuerunt uni cuique generi probabili agnatum esse genus vitiosum (ut Cornificius IV, 15. 16; Cicero et Dionysius de hac re silent). Hoc utrum Theophrastus iam docuerit necne, nescitur.

Addendum est doctrinam Theophrasteam, ut inter omnes ad genera dicendi pertinentes antiquissima fuit, ita ex omnibus unam ut videtur pervulgatam esse; itaque, postquam aliae a rhetoribus excogitatae et foras datae sunt, in usu versari non desiit, sed etiam per complura post Chr. n. saecula apud multos valuit, cf. Liers Stilarten p. 704.

§ 9. Age hanc doctrinam Theophrasto-Dionysianam cum Demetriana comparemus. Id qui adhuc fecerunt, parum accurate rem tractaverunt. Ut enim recte intellegamus quae sint discrimina inter illas doctrinas, inquirendum est quae sit utriusque ratio; quod nemo adhuc fecit. Hoc autem eo modo facillime cognoscemus, ut respiciamus ea quae rhetores de elocutionis ἀρεταῖς vel ἴδεαις docuerunt. Qua de re breviter nunc exponam, in universum Liersium secutus, qui in eam commentatione cui inscripsit „Zur Geschichte der rhetorischen Ideenlehre“ (Fleckiseni Annal. philol. vol. 131 p. 577 seqq.) primus accuratius et optimo cum fructu inquisivit, cum antea ideae ne recte discernerentur quidem a generibus dicendi.

Ab Aristotele in Rhet. III hae virtutes elocutionis tractantur: ἐλληνίζειν, quo nomine et puritas et perspicuitas sermonis comprehenduntur, c. 5; δύκος et συντομία, c. 6; τὸ πρέπον, quo comprehenduntur τὸ ῥιθικὸν, τὸ παθητικὸν, τὸ τοῖς ὑποκειμένοις πράγμασιν ἀνάλογον,

c. 7; *rhythmus*, c. 8; *periodorum structura*, c. 9; *facetiae*, cc. 10. 11. Postiores meliore disponendi ratione usi sunt. Dionysius Halic. diversis locis harum virtutum mentionem facit: a) ἀναγκαῖαι: 1. καθαρότης. 2. σαφήνεια. 3. συντομία. b) ἐπίθετοι: 4. ἐνάργεια. 5. ἡ τῶν ἥθῶν τε καὶ παθῶν μίμησις, cf. p. 776, 4. 6. αἱ τὸ μέγα καὶ θαυμαστὸν ἐμφαίνουσαι τῆς κατασκευῆς ἀρεταῖ· ὕψος, καλλιδέξιμοσύνη, σεμνολογία, μεγαλοπρέπεια. 7. αἱ τὴν ἰσχὺν καὶ τὸν τόνον καὶ τὰς δύμοισι τρόπους δυνάμεις τῆς φράσεως περιέχουσαι· τόνος, βάρος, πάθος, ἐξδιωμένον καὶ ἐναγάνων πνεῦμα, ἐξ ᾧ ἡ καλουμένη γίνεται δεινότης. 8. ἡδονή καὶ πειθώ καὶ τέρψις καὶ αἱ δύμοιο γενεῖς ἀρεταῖ. 9. πρέπον. Hae virtutes quomodo comparentur, iam ante se ab aliis accuratissime demonstratum esse Dionysius dicit<sup>13)</sup>. Multo uberius atque subtilius quam priores Aristides et Hermogenes, quorum scripta adhuc extant, de virtutibus elocutionis disseruerunt<sup>14)</sup>, quas ipsi quidem non ἀρετάς, sed ἴδεας vocant.

13) p. 863, 5 „(οὐδὲν δεῖ ἔμε νννὶ λέγειν) ἐξ αὐ το θεωρημάτων τε καὶ πραγμάτων τούτων τῶν ἀρετῶν ἐκάστη γίνεται, πολλῶν ὄντων· καὶ γὰρ ταῦτα τῆς ἀκριβεστάτης τέτευχεν ἐξεργασίας.“ Liers extr. p. 581 illa θεωρήματά τε καὶ πράγματα putat esse elementa quibus una quaeque virtus fiat, διάνοιαν λέξιν σύνθεσιν; quod probari non potest cum alias ob causas, tum quia verbis πολλῶν ὄντων plures res quam tres significari manifestum est.

14) Liers p. 584 censet ex iis, quae Hermogenes doceat, plurima iam ab eius prioribus fuisse tradita; quae ipse de suo addiderit non magni momenti esse. Hoc verum non esse inde apparent, quod liber, quem Aristides non ita multo ante Hermogenem conscripsit, multo minus copiosus est quam illius, multa autem in eo insunt inepta inconditaque, cum apud Hermogenem omnia sint bene considerata, expolita, suis

Modus autem dicendi, quo unus aliquis utitur, cum ita accuratissime describatur, ut eius qualitates enarrentur, hoc certa quadam ratione faciendi illa doctrina, quae est de virtutibus elocutionis, facultatem affert. Itaque Dionysius saepius singulorum auctorum modos dicendi ita describit, ut doceat, quae virtutes in unius cuiusque elocutione insint, quae ei desint, interdum etiam quibus rebus factum sit ut hae desint; cf. De Lysia 2—14, De Isocr. 2. 3, Ad Cn. Pomp. 3 inde a p. 775, 5. Eadem fere ratione usus est Hermogenes in clarissimorum orationis pedestris auctorum modis dicendi explicandis, Rh. Gr. Sp. II p. 410, 21 — 424, 9.

§ 10. Harum virtutum elocutionis in generibus dicendi instituendis non omnium ratio haberi potest — ingens enim generum numerus fieret — sed nonnullae vel plurimae in hac quidem re neglegendae sunt. Atque qui primus, ut videtur, genera dicendi instituit, Theophrastus, unius tantum rationem habuit, ornatus (*ἄρχον, μεγαλοπρεπεῖας*); itaque haec tria genera distinxit: elocutionem ornatu carentem, a sermone cotidiano non differentem; alteram illi contrariam, poeticae finitimam; tertiam inter has medium. Quod maxime perspicuum fit illis locis Aristoteleis, quibus doctrinae Theophrasteae principium et originem contineri § 8 dixi. Neque apud Dionysium res aliter habet. Is enim elocutionem Isocrateam et Platonicam et Demosthenicae partem quandam in uno genere medio dicit; quae tres elocutiones cum multum inter se differunt, tum ipse Dionysius eam formam elocutionis, quae

---

locis posita. (Quam in rem accuratissime inquisivit Baumgart libri c. i. Aelius Aristides als Repräsentant der sophistischen Rhetorik capite ultimo.)

a Demetrio δεινότης vocatur, apud Demosthenem eminentissimam docet esse, apud Isocratem et Platonem non reperiri, ut hac maxime Demosthenes, ubi genere medio utatur, ab horum utroque distinguitur (cf. De Demosth. 20—22, ubi Isocrates, 30 p. 1050, 8. 32, ubi Plato, 34 p. 1061, 9—13, ubi uterque cum Demosthene conferunt); neque ullam ob aliam rem hae tres elocutiones uno genere comprehenduntur, nisi quia omnes orationem neque vulgarem neque prorsus inusitatam exhibent.

Quod autem in genus medium tam diversas elocutiones adscribi necesse erat, id in doctrina Theophrastea maxime displicet. Hoc ut tolleretur, opus erat praeter ornatum elocutionis alias virtutis aut aliarum rationem habere. Atque fuerunt qui unam aliam virtutem, χάριν vel ἴδοντί, eo consilio adhiberent. Ex quibus nonnulli satis habebant pro medio genere floridum ponere, cf. Quintilian. XII, 10, 58 „tertium (sc. genus dicendi) alii medium ex duobus, alii floridum — namque id ἀνθηζόν appellant — addiderunt“; quod minime idoneum est. Alii multo commodius docebant in uno quoque e generibus Theophrasteis χάριν inesse posse aut deesse, binas igitur species in singulis generibus esse. Ita iam Cicero censet in Oratoris §§ 20 seq.; dicit enim de genere sublimi „quod ipsum alii aspera, tristi, horrida oratione neque perfecta neque conclusa (consecuti sunt), alii levi et structa et terminata;“ de genere tenui „in eodemque genere alii callidi, sed impoliti et consulto ruditum similes et imperitorum, alii in eadem ieunitate concinniores, id est faceti, florentes etiam et leviter ornati“; de genere medio „isque uno tenore, ut aiunt, fluit in dicendo nihil adferens praeter facilitatem et aequabilitatem, aut addit aliquos ut in corona toros omnemque

orationem ornamentis modicis verborum sententiarumque distinguit". Simillime Fortunatianus Rhetor. Lat. ed. Halm p. 125 „ἀδρὸν uniforme est? non, nam est aut αὐστηρὸν aut ἀνθηρόν . . . . ἴσχνὸν uniforme est? non, nam est aut severius aut floridius . . . . μέσον uniforme est? non, nam est aut severum aut laetum.“ Denique Proclus apud Photium p. 318 b 26 Bekker, postquam trium generum, quae vocat πλάσματα, mentionem fecit, haec addit „ἀνθηρὸν δὲ καὶ ἰδίαν οὐκ ἔστι πλάσμα, ἀλλὰ συνεκφέρεται καὶ συμμέμικται τοῖς εἰρημένοις, ἀρμόζει δὲ τοπογραφίαις καὶ λειμώνων ἢ ἀλσῶν ἐκφράσεσιν“. (Hos locos tres iam Volkmann edit. II p. 535 una attulit, neque vero recte iis usus est.)

Alia virtus restabat quae et ipsa dignissima erat quae respiceretur, eam dico quam Demetrius δεινότητα vocat. Eius quoque tribus generibus Theophrasteis servatis ratio haberi poterat ita ut in uno quoque genere tertia species institueretur, cui δεινότης propria esset. Sed haec partitio subtilior quam commodior fuisse: neque enim sublime genus aut tenue χάριν aut δεινότητα accipiunt, sed hae formae elocutionis in solo fere genere medio reperiuntur.. Itaque non male poterat quis generibus sublimi et tenui servatis in solo medio tres species illas distinguere. Atque hoc fecisse puto Hipparchum quendam, qui haec genera dicendi videtur exhibuisse (cf. §§ 19. 21): μεγαλοπρεπές, ἴσχνόν, γλαφυρόν, δεινόν, γραφικόν; ex quibus tria ultima sub genus medium cadere videntur, γραφικόν eius ea species esse quae neque χάριτι neque δεινότητι praedita est. Eadem genera Demetrius noster, qui post Hipparchum scripsisse traditur, exhibit excepto graphicō. Haec quattuor genera iam ante se ab aliis proposita esse Demetrius ipse § 36 dicit, eos autem

docuisse sublime et tenue, cum plurimum inter se distarent, sola genera principalia esse, inter ea venustum et vehemens media esse, hoc sublimi proprius, illud tenui. Hos id spectasse apparet, ut quam minimum a doctrina Theophrastea discederent. Neque vero Demetrius iis ad stipulatur, sed uni cuique e quattuor generibus propriam naturam esse censem<sup>15)</sup>. Illud denique addere libet, et Theophrasti doctrinam et Demetrianam formis geometrīcīs illustrari posse: illam linea recta, cuius partes extremae genera sublime et tenue significant, pars interiecta genus medium; Demetrianam circulo, in quo genera paribus intervallis discreta sita sunt ita ut sublimi generi contrarium sit tenue, venusto vehemens, ordo igitur generum hic sit: sublime, venustum, tenue, vehemens; hoc

---

15) § 37, qua Demetrius illam priorum opinionem refutat, talis qualis traditur sensu caret. Illi enim id pro se facere dicebant, quod sublime genus tenui non misceretur, cum ceterum omnia genera miscerentur omnibus; hoc Demetrius postquam § 36 rettulit, § 37 ad illos refutandos eodem argumento ipse utitur. Mendum in his inesse manifestum est, quanquam eorum, qui adhuc de Demetrio scripserunt, nemo in iis videtur offendisse. Loci sanandi nullam aliam video rationem, nisi ut censeamus post illud ὄρωμεν, quod in prima paragrapho extat, vocem μὲν intercidisse et post πολλὴν δὲ δεινότητά τε καὶ χάριν haec verba „ὅμως δὲ οὐδὲν ἥττον ἡ δεινότης καὶ ἡ χάρις ἀντίκεισθον ἢ ἡ μεγαλοπρέπεια καὶ ἡ λεχνότης“ vel horum similia; cf. quae § 258 de generibus venusto et vehementi Demetrius dicit: „ούτοι δ' οἱ χαρακτῆρες ἐναντιώτατοι δοκοῦσιν.“ — Miro modo neque cum verbis Demetrii convenienti locum interpretatus est Liers Stilarten p. 697.

ipso ordine quod genera a Demetrio tractantur, non nullius momenti esse mihi videtur.

§ 11. Proxima paragrapho ostendi Demetrium in generibus dicendi instituendis duarum virtutum elocutionis, quas Theophrastus in hac re neglexerit, rationem habuisse. Praeterea autem etiam alias virtutes adhibuit ad genus tenue illustrandum, non solum perspicuitatem (§§ 191—203), quae fortasse iam a Theophrasto ad eandem rem adhibita est (cf. locos Aristoteles quos § 8 laudavi), sed etiam ἐνόργειαν et πιθανότητα (§§ 208—222). (Quod parum considerate fecit, cum utraque virtus generis tenuis non propria sit, sed non minus in ceteris locum habeat.) Unde Demetrium studuisse apparet quam maxime doctrinam ad genera dicendi pertinentem cum ea quae est de virtutibus elocutionis coniungere ac confundere; cuius rei simile nusquam apud rhetores reperitur.

§ 12. In libro qui est de Demosthene Dionysius, postquam de Demosthenis λέξει disseruit generibus dicendi adhibitis (cf. § 8), proxima parte (cc. 35—52) eius compositio, σύνθεσις, qualis sit exponit, ac primum quidem (cc. 36—46) generibus compositionis adhibitis. Ea quoque tria statuit: τὴν αὐστηρὰν ἀρμονίαν (cc. 38. 39), quam Aeschylus, Pindarus, Thucydides; τὴν γλαφυράν (c. 40), quam Hesiodus, Sappho, Anacreon, Isocrates; τὴν μέσην vel μικτήν (c. 41), quam Homerus, Herodotus, Plato, Demosthenes coluerint<sup>16)</sup>. (Eadem Dionysius do-

---

16) Ex his generibus aspera compositio simillima est compositionis sublimis Demetrianae; Dionysii compositionem

cet etiam De comp. verb. cc. 21—24.) Hac de re qui adhuc scripserunt omnes putaverunt Dionysii *χαρακτῆρας τῆς λέξεως* ad elocutionem universam pertinere. Sed mirandum esset Dionysium prius de Demosthenis elocutione universa disseruisse, deinde de eius compositione sola; etiam magis mirandum eum elocutionis universae prorsus alia genera instituisse ac compositionis, quae in illa continentur. (Operam perdiderunt Volkmann edit. I p. 460, edit. II p. 547, et Hammer pp. 15 seqq., qui laboraverunt ut ostenderent haec genera cum illis convenire; nam, ut gravissimum tantum afferam, ἡ γλαφυρὰ σύνθεσις cum nullo e generibus λέξεως convenit.) Quamobrem equidem censeo Dionysium in libello qui est de Demosthene λέξιν intellegi voluisse ἐκλογὴν τῶν ὀνομάτων solam; quod puto manifestum futurum esse, nisi libelli capita prima periissent. Hac cum vi vox λέξις non raro usurpatur; Dionysius ipse De Lysia 8 p. 467, 8 praeter διάνοιαν et σύνθεσιν tertium elocutionis elementum λέξιν exhibit, idem Demetrius semper facit, Hermogenes et elocutionem universam (figuris sententiarum exceptis) et verborum delectum λέξιν vocat, cf. Rh. Gr. Sp. II p. 269, 8—13. 270, 13—15. Illud vero, quod in illa libelli parte, qua delectum verborum tractari puto, etiam figurarum saepius (p. 963, 10—14. 966, 15—967, 3. 977, 10—981, 15. 1008, 5. 1013, 16—1015, 1) mentio fit, nequaquam contra me facilit, cum figurae Dionysio auctore et in ἐκ-

---

venustam Demetrius non tractat; pro eius media autem duas exhibit, venustam quam ipse dicit et vehementem, denique de tenui genere compositionis disserit, de quo nihil extat apud Dionysium. (Dionysii *γλαφυράν* compositionem prorsus diversam esse a Demetriana, § 2 ostendi.)

*λογίν* et in *σύνθεσιν* cadant, cf. De Thucyd. 22 p. 862, 14—17. De Isocr. 3 p. 539, 11—14. Rerum autem, quae uni compositioni adscribi possunt, his solis locis mentio fit: p. 963, 14 — 964, 9. 1008, 2—5. 1013, 12—16 (qui omnes de Isocrate sunt)<sup>17</sup>); ubi Dionysium minore accuratione usum esse veri simile est.

Videmus igitur Dionysium alia genera instituisse delectus verborum, alia compositionis. Theophrasti quoque genera dicendi, quorum § 8 mentionem feci, ad delectum solum pertinuisse veri simillimum est; num compositionis genera instituerit, non constat<sup>18</sup>). Aliter res se habebat in ideis. Bene Liers Stilarten p. 684 not. 1 monet iam Aristotelem Rhet. III, 10 p. 1410 b 27—31 docere facetias fieri aut *διαροίq* aut *λέξει*, et si *λέξει*, aut *ὸνόμασι* aut *οχήμασι*. Dionysius De Lysia 8 p. 467, 6 *ἡθοποιίας* ele-

---

17) Praeter hos 1030, 2—13; sed is locus ad hanc rem non pertinet, cum continuationi disserendi interpositus sit. Dionysius enim postquam ostendit incisum quoddam supervacaneum esse, addit ne eam quidem excusationem afferri posse colo opus fuisse ad bonum sonum efficiendum: detriorem enim illo sonum fieri.

18) Evidem coniecerim id eum fecisse eademque genera ac Dionysium exhibuisse, ea de re autem, quae sit aurea mediocritas in compositione, aliter iudicasse, atque compositionis asperae auctore gravissimo ipsum quoque Thucydide usum esse, nimis rhythmicæ autem Gorgia et Thrasymacho, mediae Isocrate, cf. Ciceronis Orat. §§ 38—40, 174—176; quibus locis Theophrastea tradi Blass Att. Beredsamkeit II p. 120 inde conclusit, quod § 39 Theophrastus laudatur his verbis „primisque ab his (sc. Herodoto et Thucydide), ut ait Theophrastus, historia commota est ut auderet uberioris quam superiores et ornatus dicere“.

menta docet esse haec: *διάνοιαν*, *λέξιν*, *σύνθεσιν*; De Isocr. 3 p. 539, 11 τοῦ μεγάλου καὶ σεμνοῦ καὶ περιττοῦ ἐν λέξει<sup>19)</sup> elementa Theophrasto auctore esse ἐκλογὴν τῶν ὄνομάτων, ἀρμονίαν, τὰ περιλαμβάνοντα αὐτὰ σχήματα, deinde in προγματικῷ τρόπῳ tractando c. 4 p. 543, 4—6 quoddam ad illius virtutis *διάνοιαν* pertinens affert. Unde veri simile fit Dionysii aetate in omnibus virtutibus additiciis *διάνοιαν*, *λέξιν*, *σύνθεσιν* distinctas esse. Cae cilium quoque ad libellum, quem conscripsit de sublimitate, disponendum haec tria elementa adhibuisse magna cum probabilitate coniecit Blass Griech. Beredsamkeit p. 202. In virtutibus necessariis Dionysii aetate veri simile est tantum *λέξιν* et *σύνθεσιν* distinctas esse.

Hac in re genera Demetriana a Dionysianis discrepant, cum ideis faciunt: unum quodque enim ex iis et ad *διάνοιαν* et ad *λέξιν* et ad *σύνθεσιν* pertinet.

§ 13. Neque in hac re sola, sed omnino genera Demetriana virtutum elocutionis similiora sunt quam generum dicendi verorum. (Genera vera dico talia, qualia sunt Theophrastea.)

Atque de discrimine, quod intersit inter ἴδεας (ἀρετάς) et χαρακτῆρας, Liers Ideenlehre p. 585 haec docet: „Die Ideen sind abstract, es sind Begriffe, in Wirklichkeit existieren sie in ihrer Reinheit nicht . . . . In diesem Sinne bildet es (vox ideae) den Gegensatz zu χαρακτήρ: dieser ist etwas concretes und bezeichnet den Stil . . . . welcher sich aus den mannigfaltigen Mischungen der Ideen ( $\mu\imath\xi\epsilon\imath\varsigma$ ) und einzelner Theile derselben bildet . . . . Dieser

19) Non recte Volkmann p. 533 his verbis genus dicendi significari putat; verum vidit Liers Ideenlehre p. 578.

Gebrauch von *ἀρετή* und *χαρακτήρ* seitens der Rhetoren deckt sich genau mit der Anwendung der beiden Worte in der Ethik.“ — De *χαρακτῆρι* quae hoc loco Liers docet, vera sunt tantum si *χαρακτῆρα* intellegimus unius cuiusdam modum, non si genus dicendi; genera enim dicendi et ipsa, ut omnia genera, re non extant, sed cogitatione tantum finguntur qualitatibus, quae multorum singularium modorum dicendi communes sunt, ab his segregatis. Neque genera dicendi compluribus ideis composita esse necesse est, sed generis natura etiam in una virtute posita esse potest, velut generis sublimis Theophrastei natura posita est in uno ornatu elocutionis, ut ad genus sublime et ad virtutem ornatus, quae quidem est in ἐκλογῇ ὀνομάτων, illustranda prorsus eadem possint adhiberi. Discrimen igitur princeps, quod extat inter genera vera et ideas omnino non in eorum ipsis naturis positum est, sed in usibus diversis, ad quos adhibentur. In genus enim aliquod adscribuntur auctoris alicuius scripta universa (ut Thucydidis elocutio universa generi sublimi) aut scriptum singulare aut scripti pars continua et amplior (ut Demosthenis orationes Dionysius De Demosth. 9. 13. 14 in singula genera distribuit). In ideas autem non solum talia adscribi possunt, sed etiam partes minutissimae ut enunciata singularia, verba singularia, similia. Hac quoque in re genera Demetriana a Theophrasteis discrepant, cum ideis faciunt. Quod nisi ita esset, Demetrius, ut exemplo utar, Xenophontis elocutionem in unum genus venustum adscripsisset; re vera autem, ut ad genus venustum illustrandum permultos locos ex eius scriptis petitos adhibet, ita nonnullos ad sublime (§§ 84. 98. 103. 104) et ad vehemens (131). Item Homerum laudat in generibus sublimi (saepe), venusto (129.

130. 133), vehementi (255. 130 cf. 262); Herodotum in sublimi (44. 66) et venusto (181); Platonem in sublimi (51. 56), venusto (181—185), tenui (205), vehementi (266. 288. 290. 297); Lysiam in tenui (190) et vehementi (262). Cum his confer quae §§ 36. 37 Demetrius de mixtione generum exponit; de quibus iam Volkmann p. 539 haec docet „hierin . . . lassen sich unschwer die Keime der Ideenlehre der spätern Sophisten erkennen“. Quin nusquam Demetrius ullius auctoris elocutionem in genus singulare adscribit.

Generibus autem veris χαρακτῆρες Demetriani in hac una re similes sunt, quod Demetrius quattuor tantum formas dicendi principales instituit, quarum sub unam quamque certum quoddam genus auctorum cadit, quod ceterarum si non expers, at certe minus est particeps; πιθανότητα autem et ἐνάργειαν non quintam et sextam addidit, sed ἴσχυρότητι subiecit.

---

### Caput tertium.

**Cui aetati Demetrius adscribendus sit demonstratur.**

§ 14. I. Cum sub Theophrasti genus dicendi medium elocutiones admodum diversae cadant, Demetrius pro hoc genere vehemens et venustum exhibeat (cf. § 10), Demetrii doctrina quae est de generibus dicendi magis idonea est quam Theophrastea. Quod haud dubie Dionysius, si illa eius aetate iam in medium prolata fuisset, intellexisset itaque doctrinam Demetrianam secutus esset aut similem aliam ipse instituisset, non Theophrasti genera tria servavisset. At, dixerit quis, etiam apud complures auctores, qui quin post Demetrium scripserint dubitari non potest, genera Theophrastea tria reperiuntur. Hoc verum est; sed illi auctores homines mediocres fuerunt neque mirum est eos doctrinae Demetriae aut notitiam nullam habuisse aut eam neglexisse, permira autem talis incuria esset in Dionysio, qui inter rhetores praestantissimos fuit.

§ 15. II. Eam formam dicendi, quam Demetrius *δεινότητα* vocat, Dionysius, quanquam in generibus statuendis eius rationem nullam habuit, non neglexit sed diligenter observavit. Quod ostendam nonnullis locis ex eius scriptis apponendis. De Demosth. 22 p. 1021 ult.

quomodo ipsius animus commoveatur orationibus Demosthenicis legendis, hoc modo exponit: „ὅταν δὲ Ἀημοσθένειονς τινὰ λάβω λόγων, ἐνθουσιῶ τε καὶ δεῦρο κἀκεῖσε ἄγομαι, πάθος ἔτερον ἐξ ἔτέρον μεταλαμβάνων, ἀπιστῶν, ἀγωνιῶν, δεδιώς, καταφρονῶν, μισῶν, ἐλεῶν, εὐνοῶν, ὁργιζόμενος, φθονῶν, ἀπαντα τὰ πάθη μεταλαμβάνων, ὅσα προτείνει πέφυκεν<sup>20)</sup> ἀνθρωπίνης γνώμης· διαφέρειν τὸ οὐδέν εμαυτῷ δοκῶ τῶν τὰ μητρῷα καὶ τὰ κορυβαντικὰ καὶ ὅσα τούτοις παραπλήσιά ἔστι, τελονμένων.“ In libro qui est de Dinacho Dionysius docet Dinarchi elocutionem saepe Demosthenicae admodum similem esse, neque tamen unquam adeo ut ab ea discerni non possit, cum huius virtutes quaedam propriae sint quibus illa careat; haec quae sint his verbis significat 6 p. 641 ult.: „ὅ δὲ τούτους τε καὶ τοὺς ἄλλους πάντας ὑπερβαλόμενος Ἀημοσθένης, ἀπαντα μιμησάμενος καὶ πάντων τὰ κάλλιστα ἐκλεξάμενος, δῆλος μὲν καὶ τῇ φωνῇ μόνον, δῆλος δὲ καὶ τῷ καθ’ ἓντα ἔκαστον λόγον πρέποντι, οὐ μὴν ἄλλᾳ καὶ τῇ συνθέσει καὶ τῷ τῶν σχηματισμῶν ἀγκύλῳ καὶ τῇ οἰκονομίᾳ καὶ τῷ πάθει καὶ τῷ μέγιστον τῇ δεινότητι.“ Itaque 7 p. 643, 14 haec dicit de orationibus quae inter Dinarcheas tradantur: „ἔὰν μὲν καὶ ἡ τῆς λέξεως μεγαλοπρέπεια καὶ ἡ τῆς συνθέσεως ἔξαλλαγή καὶ τὸ τῶν παθῶν ἔμψυχον καὶ τὸ διὰ πάσης κεροίας διῆριον πικρὸν καὶ φοβερὸν<sup>21)</sup> τό τε πνεῦμα καὶ ἡ δεινότης πᾶσι παρέηται, μηδὲν ἔτι τὸ καλύτον ἔστω (ἐν τοῖς)<sup>22)</sup> Ἀημοσθέ-

20) Hoc verbum in codicibus extare docet L. Sadée in *commentatione c. i. De Dionysii Halic. scriptis rhetor.* (*Dissert. Argentor. II*) p. 97.

21) νοερὸν traditur, correxit Sadée l. l.

22) Addidit Sadée in *Fleckiseni Annal. philol.* vol. 127 p. 413.

*νοις αὐτοὶς ἀναγράφειν.*“ Ad Cn. Pomp. 6 p. 786, 3 de Theopompo haec dicit: „δὲ λεπτικὸς (sc. χαρακτὴρ) Ἰσο-  
ηράτει μάλιστα ἔστι . . . διαλλάττει δὲ τῆς Ἰσοηρατείου  
κατὰ τὴν πικρότητα καὶ τὸν τόνον ἐπ’ ἐνίων, δταν ἐπι-  
τρέψῃ τοῖς πάθεσι, μάλιστα δ’ δταν ὀνειδίζῃ πόλεσιν ἡ  
στρατηγοῖς πονηρὰ βουλεύματα καὶ πράξεις ἀδίκους. πο-  
λὺς γὰρ ἐν τούτοις (δ τόνος)<sup>23)</sup> καὶ τῆς Αημοσθένους  
δεινότητος οὐδὲ κατὰ μικρὸν διαφέρει, ὡς ἐξ ἄλλων πολ-  
λῶν ἀν τις ἴδοι κάκ τῶν Χισκῶν<sup>24)</sup> ἐπιστολῶν, ἀς τι  
(ἐναγωνίψ)<sup>25)</sup> πνεύματι ἐπιτρέψας γέγραφεν.“ In libri  
qui est de Isaeo cc. 3—13 Dionysius demonstrat Isaeum  
in dicendo maiore quam Lysiam arte usum esse et hanc  
ob rem eius elocutionem graviorem esse nervosiorēmque  
quam Lysiae, Demosthenicae autem δεινότητος fontem  
atque originem ea contineri, cf. 3 p. 590, 1—6. 13 p. 608,  
8—10. 611, 3—6.

Sed tamen huius formae dicendi quae sit natura,  
Dionysius non satis perspexit: parum eam distinxit ab  
artificioso (*τεχνικόν, περίεργον*) et inusitato (*εἰηγλλαχμέ-  
νον*), quae illam saepe efficiunt, neque vero idem sunt  
atque ea. Hoc inde apparet, quod ipsam illam formam  
etiam in elocutione Thucydidea inesse putat, cf. De Thu-

23) Addidi coll. p. 995, 4. Herwerden in editione epistolarum criticarum trium sic scribendum esse censet: πολὺς  
γὰρ (ἥτις) ἐν τούτοις.

24) Codices habent ἀχαικῶν aut ἀρχαικῶν, correxit A. Schaefer, „Demosthenes und seine Zeit“ III<sup>2</sup>, p. 306 not. 2.

25) In codice Ambr. spatium vacuum extat IX vel X litterarum. Herwerden l. l. scripsit σφοδρῷ. Ἐναγωνίψ coniecit Usener libelli cui inscripsit „Dionysii Halicarnassensis librorum de imitatione reliquias“ p. 66, sed mavult scribere συμφύτῳ.

cyd. 24 p. 869 ult. „χρώματα δ' αὐτῆς (sc. τῆς Θονκυδίδου λέξεως) τό τε στραγγὸν καὶ τὸ πυκνὸν καὶ τὸ αντηρὸν καὶ τὸ ἐμβριθέσ καὶ τὸ δεινὸν καὶ τὸ φοβερὸν, ἵπερ ἀπαντα δὲ ταῦτα τὸ παθητικόν,“ 24 p. 865, 10, ubi has virtutes Dionysius docet in nullius ex iis historicis, qui ante Thucydidem scripserint, elocutione fuisse (apud Thucydidem eas extare non expressis quidem verbis dicit, sed intellegi vult): „οὐδὲ δὴ τόνον οὐδὲ βάρος οὐδὲ πάθος διεγείροντα τὸν νοῦν, οὐδὲ τὸ ἐργαμένον καὶ ἐναγάνιον πνεῦμα, ἐξ ᾧ ἡ καλουμένη γίνεται δεινότης“, 48 p. 933, 18, ubi de loco, quem e Thucydide attulit, haec dicit: „ταῦτα γὰρ ἐν τῷ σαφεῖ καὶ καθαρῷ τῆς διαλέκτου τρόπῳ λεγόμενα προσείληφε καὶ τὸ τάχος καὶ τὸ κάλλος καὶ τὸν τόνον καὶ τὴν μεγαλοπρέπειαν καὶ τὴν δεινότητα, καὶ πάθους ἐστὶν ἐναγάνιον μεστά“, De Dinarcho 8 p. 645, 5. Quin etiam Demosthenes hanc formam dicendi a Thucydide sumpsisse Dionysio videtur, cf. De Thucyd. 53 p. 944, 3 „ὅπτόρων δὲ Ἀημοσθένης μόνος, ὥσπερ τῶν ἄλλων ὅσιοι μέγα τι καὶ λαμπρὸν ἔδοξαν ποιεῖν ἐν λόγοις, οὗτοι καὶ Θονκυδίδου ζηλωτὴς ἐγένετο κατὰ πολλὰ, καὶ προσέθηκε τοῖς πολιτικοῖς λόγοις παρ' ἐκείνου λαβὼν, ἃς οὐτ' Ἀντιφᾶν, οὐτε Λυσίας, οὐτ' Ἰσοκράτης, οἱ πρωτεύσαντες τῶν τότε ὁρτόρων, ἔσχον ἀρετὰς, τὰ τάχη λέγω καὶ τὰς συστροφὰς καὶ τοὺς τόνους καὶ τὸ πυκνὸν καὶ τὸ στραγγὸν καὶ τὴν ἐξεγείρονσαν τὰ πάθη δεινότητα.“ De Demosth. 10. 34. Re vera autem δεινότης Demosthenica apud Thucydidem omnino non extat. Eius naturam Dionysio multo melius cognovit Demetrius, qui in genere vehementi tractando nusquam Thucydidis mentionem facit.

§ 16. III. Id quoque alicuius momenti est, quod ad illam formam significandam Dionysius non certum

quoddam verbum constanter adhibet, ut Demetrius vocem δεινότητος. Nam hac voce Dionysius ipse quoque saepius quidem utitur, sed plerumque non sola sed coniuncta cum aliis verbis quorum similis est vis, ut τόνος, πνεῦμα, παθητικόν; nonnullis vero locis, quibus huius formae dicendi mentionem facit, voce δεινότητος omnino non utitur, cf. De Demosth. 20 p. 1012, 12 „ἀλλὰ μὴ δι τὸ ἄψυχός ἐστιν ἡ διάλεκτος αὐτοῦ (Isocratis) καὶ οἱ παθητική, πνεύματός τε, οὓς μάλιστα δεῖ τοῖς ἐναγωνίοις λόγοις, ἐλαχίστην ἔχοντα μοῖραν, οἷομαι μὲν ἔγωγε καὶ χωρὶς ὑπομνήσεως ἀπασιν εἶναι φανερόν.“ p. 1013, 10 „ἐν τούτοις οὖν μέμφομαι τὸν ἄνδρα (Isocratem) τοῦ λήμματος· γενναία γὰρ ἡ διάνοια καὶ δυναμένη κινῆσαι πάθος· τὸ δὲ τῆς λέξεως λεῖον καὶ μαλακὸν αἰτιῶμαι. τραχεῖαν γὰρ ἔδει καὶ πικρὰν εἶναι καὶ πληρῆ τι παραπλήσιον ποιεῖν“ (cf. Demetr. § 274 „ἡ δὲ δεινότης . . . ἐγγύθεν πλήττοντιν ἔσικεν“). 21 p. 1021, 3 „μάλιστα δὲ κατὰ τὸ δραστήριον καὶ ἐναγώνιον καὶ ἐμπαθές ὅλῳ καὶ τῷ παντὶ κρείττον ἔχει (elocutio Demosthenica) ἐκείνης.“ 34 p. 1061, 12. — Inde autem, quod Dionysius certo verbo quo δεινότητα Demetrianam constanter appellaret caruit, veri simile fit eius aetate hanc formam dicendi nondum tam accurate fuisse tractatam, quam tractatur a Demetrio.

Eadem res etiam in libello Pseudolonginiano cui inscribitur *Περὶ ὕψους*<sup>26)</sup> reperitur. In quo imprimis hi

---

26) Hic libellus saeculo post Chr. n. primo aut alterius initio scriptus est; a quo, nescitur. Auctor saepe ea, quae Caecilius docuerat in libro quem de sublimitate conscripsit, impugnat, sed tamen ex hoc ipso libro multa in suum translavit atque fere totus e Caecilio videtur pendere. Cf. Mar-

loci sunt de *δεινότητι* Demetriana: 1) cap. 8 inter quinque sublimitatis fontes τὸ σφραγὸν καὶ ἐνθουσιαστικὸν πάθος commemoratur. (In libello qualis nunc extat hic fons unus commemoratur tantum, non uberior tractatur; quod olim quidem factum esse veri simile est, sed hanc libelli partem perditam esse, cf. quae exponit Rothstein in Hermae vol. 23 p. 15 seqq.) 2) c. 9, 10—13 exponitur hoc esse discrimen inter Iliada et Odysseam, ut in illa *δεινότης* insit (quoniam non hac ipsa voce id exprimitur), in hac non sit. 3) c. 12, 3—5 ostenditur elocutionis Demosthenicae maxime propriam esse *δεινότητα*, Ciceronianae ubertatem. 4) 5) c. 16, 2 demonstratur *δεινότητα* esse in insigni illa figura iurandi, qua Demosthenes in oratione de corona usus est; c. 22, 3—4 eandem esse in hyperbatis Demosthenicis. 6) c. 34, 4 auctor docet Demosthenem Hyperidi *δεινότητι* tanto praestare, ut, cum pauciores quam hic habeat virtutes, tamen merito ei omnino praeponatur. Horum locorum in iis tantum, quos tertio loco et sexto attuli, vox *δεινότητος* extat, sed vel in his, item ut saepe apud Dionysium, non sola sed coniuncta cum aliis quarum similis est vis. Unde apparet etiam libelli c. i. περὶ ὑψους auctorem certo verbo quo *δεινότητα* Demetrianam constanter appellaret caruisse. — Neque vero inde concludendum esse censeo Demetrium etiam post hunc scripsisse; nam hic Caecilium tantum eiusque aequales secutus esse potest neglectis iis quae rhetores posteriores nova protulerant.

Voce *δεινότητος* etiam Hermogenis aetate a multis eadem res videtur significata esse quae a Demetrio. Her-

---

tens, De libello περὶ ὑψους, 1877. Coblenz, De libelli περὶ ὑψους auctore, 1888.

mogenes enim Rh. Gr. Sp. II p. 389, 25 — 391, 30<sup>27</sup>), postquam exposuit se δεινότητα intellegi velle virtutem omnibus ideis ita utendi ut suo quaeque loco adhibeatur, commemorat a plurimis hominibus (*οἱ πολλοί* p. 389, 27. 391, 28) non hoc illa voce significari, sed eam unam formam dicendi, quam Hermogenes ipse δεινότητα ἡ καὶ ἔστι καὶ εἶναι δοκεῖ vocat (huic δεινότητι opponit eam ἡ ἔστι μὲν, οὐκ μὴν δοκεῖ et eam ἡ οὐκ ἔστι μὲν, δοκεῖ δὲ εἶναι) et p. 392, 10 in plurimis e Demosthenis orationibus publicis inesse docet. In hac vocis notione quanquam non sola δεινότης Demetriana continetur, sed praeter hanc τὸ σεμνόν et τὸ περινεομένον, tamen illa pars gravissima et maxime conspicua videtur esse.

§ 17. IV. Dionysius, cum δεινότης Demetrianae, ut § 15 ostendi, saepe mentionem faciat, tamen de rebus singularibus, quibus ea fit, nihil dicit nisi quod De Isaeo 13 p. 608 seqq. docet asyndeta, interrogations, τὸ κατὰ συστροφήν et παρακεκυδνευμένον in compositione et apud Isaeum et apud Demosthenem saepe inveniri, apud Lysiam rarissime. Uberior autem de hac re expositio imprimis in libello qui est de Demosthene desideratur; opus enim ea est ad elocutionem Demosthenicam accurate exponendam, quare quod Dionysius eam non exhibit, elocutio Demosthenica illo libello multo minus accurate et expresse describitur quam iis quae Demetrius de vehementi genere disserit; cuius libellum si Dionysius cog-

---

27) Liers Stilarten p. 700 (cf. Dissert. p. 9) ex hoc ipso loco effici docet Hermogenis aetate vocis notionem Demetrianam abolitam fuisse; quod vehementer miror.

nitum habuisset, haud dubie eo usus illud, quod nunc in ipsius libro desideratur, exhibuisset.

§ 18. V. Id genus compositionis observatione minime indignum, quod Demetrius γλαυρὰν σύνθεσιν vocat et primus ut ipse docet tractavit, Dionysius omnino ignorat, cf. quae exposui § 12. (Demetrii paragraphis 183 — 185 usus esse mihi videtur Hermogenes Rh. Gr. Sp. II p. 341, 5 — 342, 9.)

§ 19. VI. Denique testimonium vetus, quod pro me facit, affero. Syrianus in prolegomenis quae conscripsit ad Hermogenis librum qui est de ideis haec dicit (Spen-gel, Synagoge technon p. 197, 22. Rh. Gr. W. VII p. 93, 4): „εἰ δὲ καὶ διενοήθησάν τινες ἐπιγράψαι τὸν χαρακτῆρας καὶ τὸ ποσὸν αὐτῶν συστῆσαι, τηράλλως ἐποίησαν· ὅν εἴς ἔστιν δὲ Λιονύσιος· οὗτος γὰρ τρεῖς εἶναι χαρακτῆράς φησι, τὸν ἴσχνὸν, τὸν μέσον, τὸν ἀδρόν· δὲ Ἰππαρχος προστίθησι τὸν τε γραφικὸν καὶ τὸν ἀνθηρόν· οὐ δὲ Λιμήτριος ἐκβάλλει τὸν γραφικὸν τοῖς τετράσιν ἀρεσκόμενος.“ (Quae horum simillima disserit Ioannes Siceliota Rh. Gr. W. VI p. 71, 6 — 9, ea e Syriano fluxisse et per se probabile est et ea re confirmatur, quod Rh. Gr. W. VI p. 71 ult. — 72, 9 haud dubie e VII p. 93, 10 — 20 fluxerunt.)

Dubitari autem potest, num ille Demetrius, cuius Syrianus hoc loco mentionem facit, is fuerit cuius libellus nunc extat. Syrianus enim docet haec genera dicendi ab eo esse exhibita: ἴσχνὸν, μέσον, ἀδρόν, ἀνθηρόν. Quibus e nominibus cum unum tantum, ἴσχνὸν, apud Demetrium extet, Walz Rh. Gr. W. IX p. IX not. negavit eum Demetrium, qui περὶ ἑρμηνείας scripsit, a Syriano significari. Sed vocibus ἀδρόν et ἀνθηρόν Demetrii genera

*μεγαλοπρεπὲς* et *γλαφυρὸν* significata esse posse manifestum est, praesertim cum etiam e Dionysii generibus unum Syrianus ἀδρὸν vocet, qua voce genus dicendi a Dionysio nullum usquam appellari Liers docet Stilarthen p. 703. Atque etiam de Demetrii genere vehementi Syrianus cogitasse potest, quanquam eius loco mediæ mentionem facit. Erant enim qui elocutionem Demosthenicam sub unum genus medium cadere censerent, cf. Pseudo-Plutarch. De vita et poesi Homeri 72 — V p. 119, 51 — 120, 4 Dübner, Rh. Gr. W. VII, 1 p. 26, 3—9<sup>28</sup>); idem autem Demosthenes cum auctor optimus sit generis vehementis Demetriani, poterat quis putare genus medium idem esse ac vehemens. Nihil igitur obstat ne de nostro Demetrio Syrianum putemus cogitasse.

Docet autem Syrianus Demetrium post Dionysium Halicarnassensem scripsisse. Neque mera conjectura id videtur collegisse; nam si hoc fecisset, veri simile est eum conjecturum fuisse Demetrium ante Hipparchum scripsisse, cum hic quinque exhibuerit genera, ille quatuor, Dionysius tria.

§ 20. His argumentis satis probavisse mihi videor Demetrium post Dionysium scripsisse; spatium autem temporis non exiguum inter eos videtur intercessisse. Praeterea de Demetrii aetate hoc unum contendi potest

---

28) Idem atque hoc posteriore loco extat in Tryphonis libello qui est de tropis Rh. Gr. W. VIII p. 750, 3—8. Rh. Gr. Sp. III p. 201, 6—11, neque vero ipse Trypho. hoc scripsit; cum enim ab universa re, de qua rhetor disserit, hoc prorsus alienum sit, ab interpolatore additum esse putandum est, quod Spengel indicavit, Hammer p. 18 neglexit.

eum ante Hermogenem scripsisse; quod inde colligi potest, quod Demetrius, si post illum scripsisset, haud dubie multa ex eius libro in suum transtulisset.

§ 21. Ex eodem Syriani loco discimus ab Hipparcho quodam, cuius apud nullum alium ex auctoribus veteribus mentio fit, quinque genera dicendi esse instituta, e quibus quattuor fuisse eadem atque quae Demetrius tractaverit, quintum *γραφικόν* vocatum esse. Hac voce manifestum est id genus elocutionis ab Hipparcho appellatum esse, quod imprimis Isocrates eiusque auditores coluerunt. De *γραφικῇ λέξει* iam Aristoteles Rhet. III, 12 disserit; ei τὴν ἀγωνιστικὴν opponit et hanc in pronunciandum tantum, illam in legendum tantum docet convenire. Isocrateam autem elocutionem ad legendum tantum, non ad pronunciandum convenire multi auctorum veterum docuerunt, ut Hieronymus eo fragmento, quod et Philodemus De arte rhetor. IV col. 18 v. 13 (ed. Spengel Abh. der philos.-philol. Cl. der Bayr. Akad. III p. 223) et Dionysius Halic. De Isocr. 13 p. 560, 7 servaverunt. Qua ratione usus Hipparchus quinque illa genera instituisse mihi videatur, § 10 exposui. Qua autem re Demetrius commotus sit, ut genus graphicum non tractaret, ego non perspicio.

§ 22. Restat ut ea, quae de historia doctrinarum ad genera dicendi pertinentium contendи posse demonstravi, summatim colligam.

Primus ut videtur genera dicendi Theophrastus instituit. Is secutus ea, quae Aristoteles Poet. c. 22 init. et Rhetor. III c. 2 init. dixerat, tria esse genera docuit, sublime tenuē medium; quae pervulgata sunt et multa

per saecula in usu fuerunt. (Cf. § 8.) Pertinebant autem haec genera ad solum delectum verborum; num Theophrastus praeterea alia instituerit ad compositionem pertinentia, nescitur. (Cf. § 12.) His tribus generibus aut Theophrastus ipse aut aliis quis rhetor aetate posterior tria vitiosa addidit. Porro post Theophrastum opinio orta est optimam elocutionem omnibus generibus cum varietate adhibendis fieri. Et hanc opinionem et genera vitiosa apud Cornificium primum reperimus. (Cf. § 8.) Fuerunt etiam, qui, cum in generibus instituendis virtutem venustatis non neglegendam esse censerent, in uno quoque genere binas species distinguerent, alteram venustate praeditam, alteram ea carentem; quod inter eos, quorum scripta nunc extant, primus Cicero facit. (Cf. § 10.) Hipparchus, rhetor Dionysio aetate inferior, generibus sublimi et tenui simpliciter servatis in solo medio duas species illas distinxit et praeter has tertiam, *δεινότητι* praeditam; has tres species autem cum et ipsas pro generibus haberet, quinque exhibuit genera. Demetrius rhetor denique, qui Hipparcho aetate inferior erat, Hermogene superior, ex Hipparchi generibus graphicum, id est generis medii speciem neque *χάριτι* neque *δεινότητι* praeditam, omisit, cetera servavit. (Cf. §§ 10. 19—21.) Apud hunc primum genera reperimus ad delectum et ad compositionem verborum simul pertinentia; neque ad haec sola pertinent, sed etiam ad sententiam. (Cf. § 12.) Et hac re et duabus aliis (cf. §§ 11. 13) fit ut genera Demetriana simillima sint idearum.

### Vita scriptoris.

Arthur Altschul natus sum Dresdae a. d. XVI. Kal. Iunias anno h. s. LXVI. patre Sigmund, quem nuper morte mihi eruptum vehementer lugeo, matre Elisabeth e gente Josephson, quae cum gaudio meo etiamnunc vivit. Fidei addictus sum nulli. Litterarum elementis imbutus sum Dresdae. Deinde anno LXXV. cum parentibus Pragam transmigravi ibique scholam frequentavi cui est nomen K. K. deutsches Neustädter Staatsgymnasium. Anno LXXVIII. Dresdam reversus in scholae Mochmannianae classem quartam receptus sum; anno sequenti in Gymnasium Sanctae Crucis transii idque frequentavi donec anno LXXXV. examine superato Lipsiam me contuli ut studiis philologicis operam navarem. Scholis ibi interfui virorum doctorum de Bahder, de Gabelentz, Gardthausen, Hanssen, Heinze, Hildebrand, Kögel, Lipsius, Overbeck, Ribbeck, R. Richter, Rohde, Schreiber, Springer, Wachsmuth, Windisch, Wundt, Ed. Zarncke, Fr. Zarncke. Quos viros cum omnes, tum praecipue Wachsmuthium grato animo colere nunquam desinam.

---

Gaylord Bros.  
Makers  
Syracuse, N. Y.  
PAT. JAN. 21, 1908

451878

UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY

